DE

TYPHO IN GENERE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE M. XXII. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
PETRUS KOENEN,
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

Ed. ARNTZ, med. et chir. dr.
Gust. GÜTZLOE, med. et chir. cand.
Loud. de WAL, med. et chir. cand.

Berolini, typis Brüschckianis.

FRATRI

OPTIMO CARISSIMO

JOANNI KOENEN

APUD BIENENSES MINISTRO VERBI DIVINI

SUMMOPERE DE ME MERITO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATISSIMO ANIMO SACRAS ESSE VOLUIT

FRATER.

AUCTORES

de typho in genere.

Haller opusc. pathol. observat. 73.
Vogel de febri nervosa; ejusque genuina indole. Göttingen 1767.
Clarke de putredine in typho. Edinburgh 1779.
Herz Beobachtungen über die Nervenfieber, aus dem Lateinischen mit Anmerkungen von H. Taber. Heidelbg. 1790.
Hufeland Bemerkungen über das Nervenfieber und seine Complicationen. Jena 1799.
Reil Fieberlehre II. p. 126—139.
Hufeland vom Nervenfieber. Berlin 1807.
Horn Archiv 1809. Mai p. 51.
— — 1810. November p. 304.
— — 1811. Mai p. 493.
— — 1812. Juni p. 306.
*Erfahrungen über die Heilung des ansteckenden Nerven- und Lazarethfiebers von Ernst Horn. 2te sehr verbesserte und vermehrte Auflage. Berlin 1814.
*Hildebrand über den ansteckenden Typhus. Wien 1810.
Kreyssig Commentatio de peripneumonia nervosa. Sect. I.
N. Pommers *Beiträge zur nähern Kenntniss des sporadischen Typhus und einiger ihm verwandten Krankheiten gegründet auf Leichenöffnungen. Tübingen 1821.
John Armstrong, Practische Erläuterungen über das Typhusfieber, das gewöhnliche anhaltende Fieber und über Entzündungskrankheiten. Aus dem Englischen nach der 3ten Ausgabe übersetzt. Herausgegeben von Kühn 1821.

Proœmium.

Quum aliquoties mihi contigisset, ut variam typhi formam observarem, propositum mihi fuit, ut generalia quaedam inde depromerem iisque, quae de hoc morbo a viris doctissimis nobiscum communicata essent, quodammodo adnecterer. Attamen neutiquam me fugit, tantum me hisce onus suscepisse, quantum humeri ferre recusarent, nisi spe suspensus essem, fore ut lecturi tanta indulgentia pauxillas hasce qualescumque pagellas evolverent, quanta verecundia juvenis calamus talia exarare conatus est.

Accipite ergo exigua, ut quae hisce contineantur, nobisque in posterum favete.

Scrib. Berolini d. XII. M. Sept. MDCCCXXXI.

Introductio.

Inde a primis medicinae temporibus de typhi natura magna fuit dissensio, quia medicis, quid typhus genuinus sit, non ubique comparuit. Quum enim et ipsa febris nervosa et alii nervosi systematis morbi nec per se paterent, nec a similibus affectionibus satius essent disjuncti, factum est, ut haec omnia sub typhi nomine confunderentur. Quam ob rem et de pathologicis, et de therapeuticis typhi conditionibus admodum varia, imo sibi contraria a medicis promulgata esse vix mirum erit. Opus autem est, ut ad morbi characterem accurate cognoscendum, et physiologicam et anatomicam ejus naturam symptomatumque complexum, ac rei universae decursum, et stadiorum in eadem recensum exituumque variam faciem arctius perlustremus.

Character anatomicus.

I. Cadavera omnium, qui mortui sunt typho, etsi non vitalem quodammodo tamen organicum calorem diutius servant, et valde in putredinem proclivia esse solent. Rigor quidem, mortis signum notabile, non ubique desideratur; conspiciuntur autem tam in superficie corporis, quam in internis ejus organis suffusiones et maculae, quae sunt a sanguine venoso extravasato derivandae.

Habentur etenim sanguinis exsudationes, quae in iis potissimum inveniuntur locis, qui affectioni prae ceteris obnoxii fuerunt, quales quidem suffusiones quibusdam falsam opionem crearunt, typhum nil esse, nisi inflammationem occultam.

II. Nervorum partes affectae texturam dissolutam et plerumque emollitiem insigniorem prae se ferunt. Si enim cerebrum ipsum affectionis atrium fuerit, in cadavere eae cerebri partes, quae hemisphaeria connectunt et ligant, quaeque anatomis commissurae audiunt emollitae reperiuntur. Eadem de gangliis abdominalibus ratio est, si in imo ventre typhi radices exortae fuerint.

III. Multum distat a normali indole ipse sanguis. Nunquam fere coagula apparent, vel, si conspiciuntur, gelatinosa sunt. Neque color normae

respondet, sed nigredine purpurea distinguitur. Iamque si chemica qualitas perlustratur, partes sanguinis constitutivae dissolutae et tantopere perfusae inveniuntur, ut vix detegi, ne dicam sejunctae proponi possint. —

IV. Musculi praesertim abdominales et thoracici livido calore, sicuti in hydropicis denotantur; facillime disrumpi possunt, et in pulpam cito transeunt submollem, quae impedit, quominus fibrae singulae distinguantur. Notandum hoc loco, simile quid in iis conspici, qui e narcoticorum abusu, mortem obierunt. Jamque facilis conjectura videtur, typhi vim veneniferam cum venenorum narcoticorum natura aliquid affinitatis habere, qua de re nobis sermo erit, ubi phaenomenorum recensus utriusque affectionis perlustrabitur. Sufficiat adnotasse, fluidorum corporis indolem eandem e narcoticis, ac e typho subire dyschymosin. Inde facile intelligitur:

V. vasa, per quae fluida vehuntur, mirum quantum exhibere a norma discrimen. Siquidem ima eorum cuticula singulari colore violaceo perfusa esse solet, nec raro sponte a media cuticula separatur. Quale quid imprimis in superficie cordis interna aut, si aegrotus in secundo morbi stadio periit, similia quidem in pariete arteriarum interna cernuntur. Eandem vasorum mutationem a kalinis pharmacis in vasis produci, neminem fugit. Quo-

niam vero alkali ammonium ex ipsa putredine nascitur, talia e putredine derivanda esse, conjici possit; at quis est, qui his non concedat, cui constat, vasa neutiquam in omnibus cadaveribus, licet eodem temporis post mortem spatio elapso, adeo mutata reperiri. Color iste mirum in modum non raro in loco bifurcationis arteriarum subito finitur, quare nemini supponendum erit, ex inflammatione, quae in arteriis nunquam tantopere circumscripta habetur, istum colorem prodiisse. Insuper typhus eo ab inflammatione vasorum discedit, quod parietes vasorum a phlogosi singularem rigorem, a typho insignem mollitiem acquirunt.

VI. Mucosae etiam membranae eaeque potissimum organorum respirationis et digestionis distinctam mutationem morbosam perpatiuntur. Non tamen in utroque systemate ex omni parte ista mutatio sibi conformis est. Nam in membrana mucosa canalis intestinalis colliculi eminent in medio depressi, et vallo quodam circumdati. In membrana mucosa autem organorum respirationis lividus rubor et intumescentia observatur. Qualia quidem non in omni typho simul computata, sed in singulis ita reperiuntur, ut v. e. typhus cerebralis cum affectione membranae mucosae organorum respirationis, typhus contra abdominalis cum affectione membranae mucosae organorum digestionis pari passu incedere consuescat.

VII. Reliqua corporis organa non raro quidem, neque tamen constanti modo a norma recedunt. Id, quod in plurimis morbis acutis, quibus scilicet typhus adnumerandus est, si ab ejus sequelis discesseris, observatur.

Character physiologicus.

I. Ubique centrum aliquod systematis nervorum atrium typhi est. Afficitur enim aut cerebrum aut plexus solaris, unde typhus cerebralis, et typhus abdominalis originem petunt. Dicas quidem, persaepe primum pulmones potissimum in typho affectos esse, atque eam ob causam licere, typhum pulmonalem sive thoracicum, ut peculiarem, typhi speciem assumere. At thoracica illa affectio typhosa nunquam huc usque genuina et mera, sed plerumque cum cerebrali pathemate commixta apparuit.

II. Sanguinis circulus in omni typho acceleratus est, quin tamen vasorum lumen dilatetur, vel nova nascantur vasa, qualia quidem in omni inflammatione videntur. Quemadmodum igitur in sanguinis arteriosi circulo et vasis typhus ab omni inflammatione differt; ita etiam in systemate venoso neutiquam ea acceleratio observatur, quae in inflammationibus locum tenet, sed retardatio potius, eaque potissimum in organo primarie affecto i. e. in cerebro et in plexibus abdominalibus.

III. Sanguis ab omni parte mutatus est, sive qualitatem sive quantitatem respicias. Pars fibrosa enim in sanguine decrescit, et albuminis copia diminuitur, et in genere sanguificatio retardata et debilitata esse solet. Unde novae sanguinis undae non advehuntur, et cordi stimulus suetus detrahitur, nec propulsio inde justa ab eo perficitur. Physicales etiam sanguinis conditiones differentiam typhi ab inflammatione satius manifestantur. Nam in omni phlogosi pondus sanguinis specificum auctum, in omni typho minutum est. In inflammationibus oxygenium, in typhis carbonium praevalet.

IV. Pigmentum singulare producitur, nec e secreto tantum, sed ex omnibus etiam partibus elici potest. Copia vero pigmenti istius, quo proprius ad cancros (terras tropicas) accedis, eo magis augetur. In genere enim

V. geographica conditio tam ad latitudinem, quam ad altitudinem (elevationem) imprimis notanda est. Siquidem typhi circa arctos fere nunquam observantur, dum qui in tropicis versantur toties a typho corripiuntur. Unum vero, quod ad hanc rem attinet, inter omnia phaenomena exstat, exanthema dico, cujus efflorescentia in membrana mucosa canalis intestinalis tantummodo in meridionalibus, neque tamen in septentrionalibus terris conspicitur.

VI. Calor mordax, peculiare istud morborum nervosorum phaenomenon, in typhis summum acumen assequitur, etsi nondum eliminatum sit, unde calor iste, cujus fontem electricum plerique in dubium vocant, oriatur.

VII. Functio membranarum mucosarum ita alienata est, ut ex altera parte in debilitatem paralyticam, ex altera in inflammationem hypersthenicam mox gangraenosam transeat. E quibus omnibus multi errores, multa omnino sibi contraria, plurimaque opinionum discrimina et dissensiones dilucidantur et exaequantur.

VIII. Jamque praecipuum typhorum phaenomenon decursus adeo distinctus, ut fere cyclicus dici queat, habendum est. Similitudo exinde cum exanthematum decursu oritur, quibus, si exanthema istud in membrana tractus intestinalis mucosa respexeris, fortasse typhus adnumerandus est. Circuitus autem periodicus, qui typum septem dierum pie servat, aequalitatem quandam cum aliis febribus, et dissimilitudinem ab inflammationibus inducit.

Phaenomena.

Prostratio ista virium vitalium primum rei initium et vestigium denotat, quin tamen typhis singularis sit, cum eadem fere in quocumque morbo nervoso, nisi forte in inflammatorio aliove natus

sit, appareat. Priusquam vero symptomata in conspectum venerint, quae objectivo modo typhum ab aliis morbis nervosis dignoscere concedunt, reactio generalis i. e. febrilis locum habet. Nunquam enim typhus febris est expers, cujus quidem natura et forma longe alia est, quam inflammationis. Etiamsi enim pulsus acceleratus sit et normali longe frequentior, neutiquam tamen adeo plenus et fortis habetur, quam in inflammatoriis morbis. Quae enim tensitas in primo stadio ad est, cujus mentionem observatores vere omnes faciunt, a fortitudine multum differt. Neque etiam opponi poterit, rei initium nonnunquam inflammatoriam prae se ferre faciem; hoc enim non occurrit, nisi e vera inflammatione v. c. cerebri neglecta vel male procurata typhus ipse initium habuerit. Jamque vero permultae symptomatum varietates eo progignuntur, quod cum typhis alii morbi commiscentur, quamquam negari non potest, eam esse typhi naturam, ut cum aliis morbis non facile se conjungat. Exanthemata quidem omnino excludit, plurimasque febres, ipsamque intermittentem superare solet. Attamen ad inflammationes internas cum accedit, pari passu cum iis progreditur. Saepissime enim hepatitide, angina maligna, encephalitide aut pneumonitide comite utitur familiari, unde color integumenti cutanei subflavus, deglutitio difficilis, cephalaea, hallucinationes, propensio febris comitantis in continuam

elucescunt. Syphilitica vero et impetiginosa et scrofulosa, omnisque fere alia dyscrasia ita a typho accessorio superatur, ut jure meritoque typhus ipse a medicis antiquis morbus depuratorius habitus sit.

Decursus.

Quicunque typhus tardo pede ad sepulchrum, aut tardiore etiam ad convalescentiam ducit. Vix enim phaenomena notabiliora apparent, nisi criticis illis diebus, septimo scilicet et decimo quarto, quibus non raro congestiones fortiores et quae iisdem accedunt symptomata in vulgus nota praegrediuntur. Crises vero ipsae aut somno felicissimo et quodammodo critico aut sudore laudabili aut vomitu et diarrhoea pessima, interdum jam die quarto subintrante insigniuntur.

Stadia

duo tantum in ipsius morbi decursu occurrunt, eaque tam a febre comitante, quam a characteris totius rei commutationibus depromi possunt. Opportunitatis enim et reconvalescentiae stadia a nonnullis medicis et in typho proposita per se ad morbum non pertinent, quia non tantum alii morbi typhorum initium sistere possunt, sed ipsi typhi, potissimum contagiosi in quocumque homine ab omni opportunitate remoto, experientia teste

occurrunt. Jamque stadium primum per septimanae spatium plerumque protrahitur, et debilitate aut genuina, aut spuria, et nausea et gravedine capitis insigni systematis musculosi prostratione denotatur. Debilitate sensim aucta res ad decimum quartum diem protracta novam subito sibi conciliat faciem. Solent etenim crises sive letales sive salubres intra diem decimum tertium et quintum in conspectum venire. Inter quas somnus potissimum notandus, quo durante systema nervosum tantopere exhaustum citissima optimaque ratione in integrum restituitur. Nonnunquam transpiratio in somniantibus augetur, aut in vigilantibus conspicua apprehenditur. Differt crisium natura pro typhi specie ita ut v. c. in typho abdominali non raro diarrhoea critica, etsi saepius paralytica evadat. In cerebrali vero somnus interdum etiam spasmi observantur. Ipsa mors vero sub varia ratione sibi locum petit, prout scilicet alterum alterumve corporis systema potissimum sit debilitatum, nuperrimeque affectum. Id omni typho commune esse videtur, quod paralyseos phaenomena ultimas aegroti horas depravant; quando autem aegroto contingit, ut convalescat, id nunquam ante mensem fere elapsum accidere solet.

Causae.

Tam somaticae quam psychicae esse possunt. Frequentissime animi pathemata fortiora et vehementiora, et ex his debilitantium genus typho viam sternunt. Exinde non mirum erit, morbum nostrum tam saepe apud milites fugatos in carceribus, apud nautas diutius a terrae oris remotos, et inter vilioris notae homines animadverti. Poterit etiam ira gravior et potissimum excitatio spirituosornm abusu et lassitudo demum orta typhorum origines parere. Rarius inopia nutrimenti, quam pejor ejus indoles, inprimisque potulentorum mala conditio typhum procreant. Nimiae vigiliae et justo protractius animi studium ac prae ceteris spermaticum systema admodum exhaustum, nec non tubi instestinalis depravatio, et aquarum conditio putrescens multum ad proferendum typhum tribuunt.

Qua ratione si in diversis locis sporadico modo singularibus causis typhus ortus fuerit, demum contagiosa fiunt aegrorum vicinia. Jamque singularis rei facies conspicitur, eaque diversa, quoniam character morbi et individui constitutio non leve in difinienda typhi specie momentum habent. Oritur enim sub his rerum conditionibus typhus petechialis; sub istis aut abdominalis aut cerebralis. In quibusdam terrae regionibus peculiaris ista febris flavam dico, typho subsimile quid sistit. Ut vero

gignatur contagiosa ista indoles, ex altera parte numerus aegrorum sufficiens, ex altera aetheris fausta temperies ac humiditatis justa quantitas requiritur. Ideoque ibi potissimum exoritur, ubi aegrotantium numerus quidam major in angustioribus cubiculis coërcetur. Neque tamen, nisi calor aestivus praesertim accedat, typhi contagium nascitur.

Sequelae.

Intermedius quidam rei exitus non raro ita habetur, ut nec aegrotantem adhuc nec penitus restitutum dicere possis affectum. Siquidem imperfecta quasi sanatio, tam quia crises fuerant justo minores vel etiam, quia modum excesserant, animadvertitur. Sensuum organa principem in hac re locum tenent, quia olfactus, aut visus saepissime auditus toties hebescunt. Rarius diarrhoea paralytica, et cephalaea pertinax ac rarissime organi pulmonum vel cerebri morbi remanent. Facies vero diutius morbi adeo infensi vestigia servat, et morositatis simulacrum reddere solet. Tonus serius demum ad turgorem concinnum revocatur. Unum tamen organicum vitium in superficie posterioriore potissimum saepius sub decubitus forma exoritur; qui quidem in regione ossis sacri et aliorum coxarum ossium nascitur, et e rubefacto cutis loco gangraenosa exulceratione profundum petit. Magnopere admirandum videtur, quomodo talis deprava-

tio distincti alicujus loci et in eo casu evenire possit, in quo compressio e corporis pondere nata eidem loco neutiquam contigerat. Neque etiam sistendus ille decubitus per mutationem loci corporis, cui aegrotus incumbit. Uno enim tramite exulceratio ista gangraenosa incedit, etiamsi intacta sit et defensa a quocunque irritamento gangraenam promovente.

Sensibilitas demum insignis in toto vitae decursu nonnunquam aegrotanti relinquitur et longae tramiti affectionum spasticarum aliarumque nervosarum ansam praebent. Unde facile intelligitur, proclivitatem tot aegrorum in ejusmodi affectiones insuperabilem fere evenire. Saepius vero morbi psychici typhum eodem modo sequuntur. Eminet hac de parte inter omnes fatuitas aliqua pertinacioris notae, et perfecta interdum dementia. Mania vero fere nunquam videtur, nisi de partiali ut de melancholia sermo sit. Moria denique interdum inter sequelas observata fuit, eaque in iis maxime aegrotis, qui ante morbum animo blando et mitiore erant instructi.

P r o g n o s i s.

In genere de omni typho non proterva tibi spes sit, siquidem morbus insidiosissimus habendus sit. Medicum enim rei initium fallit, nec symptomatum tanta clades esse solet, ut justo tempore

morbi gravitas eliminari possit. Differt autem mortalitatis ratio non tantum secundum terras, sed etiam potissimum pro genii epidemici indole. Habentur nempe epidemiae typhi, in quibus vix nonus quisque a morte corripitur, dum in aliis quintus, imo quartus quisque enecatur.

1. Dependet autem prognosis maxime a specie typhi: Typhus enim Europaeus Asiatico respectu periculi neutiquam aequiparandus. At inter Europaeos typhos sporadicus potissimum, si febri intermittenti neglectae accesserit, contagioso periculosior. —

2. Stadium non leve momentum prognoseos constituit, inprimisque dierum criticorum exitus. Typho incipiente spes eo hilarior esse poterit, quo citius emeticis aut sanguinis detractione aliisve remediis impetus vim fregeris. Si vero gravior quaedam affectio aut cerebri aut abdominis phaenomenis proditur, de remediorum effectu, quod attinet ad limitandum morbi decursum, ideo non magna tibi spes esse poterit, quia omnes typhi morbi cyclici i. e. periodis distinctis, nulla ratione, nullo medicamine abscindendis, experientia teste jure meritoque habentur.

3. Ipse decursus permultum valet ad augendam convalescentiae spem si regulari et distinctiore ratione procedit. Maximum contra periculum praesto

est, si perturbationes in decursu maxime brevi ante criticos dies obveniunt. —

4. Ceteroquin diffidi nequit, etiam symptomatum singulorum gravitatem non exigui ad prognosin constituendam esse momenti. Primum inter haec locum tenet prostratio virium et peculiaris ista lassitudo suspiriosa, cui debilitas universalis animusque dejectus antecesserant. Notandum enim, in nullo fere morbo tanta aegrotum certitudine de propria sorte divinari, quam in typho. Ingratissimum itaque signum esse solet, si aegrotus se moriturum esse multa cum fide et per plures quidem dies, etsi non colliquescat, contendit.

Secretionum quoque conditiones multum valent, quoniam per organa secretoria crises fiunt, quae perfici nequeunt, nisi organa ista vitalitate quadam justa gaudent. Tubi potissimum intestinalis secretio respicienda est. Nam si diarrhoeae cito eveniunt, neque facilius sistendae sunt, desperandum. Conveniunt autem medici longe plurimi practici, nullam dirrhoeae curam tanta difficultate premi, quam typhosam. Cujus rei argumentum facillime perspicitur, quia paralysis tractus intestinorum isti ventris fluxui ansam praebuit, et paralysis per se damnosissima esse solet. Habentur vero in typhis criticae quaedam diarrhoeae, quales ut sint, necesse est, ut et moderatae sint, et alia symptomata justo tempore scilicet in fine stadiorum subleventur. Jam-

que de hac re observatione ita edocti sumus, ut contendere liceat, diarrhoeam typhum cerebralem lubentius, quam abdominalem solvere. Neminem fugit, in cerebrali diarrhoeam derivatoriam, in abdominali vero debilitantem ac nociferam esse. Pessima vero in typho petechiali esse solet, in qua exulcerationem exanthematis tuberculosi in membrana organorum digestionis mucosa constituti distinctiori modo indicat. De obstructione fere contrarium existimandum est. Etiamsi enim vix ullus alius morbus occurrat, in quo obstructio salubris sit, typhosis tamen alvi spissitudo non raro fausta fuit. Itaque nunquam, nisi gravamina accedunt, remediis solvenda est.

De urina in typho nil est dicendum. Innotuit jam Hippocrati, urinam in typhis sive rubra sit, sive aquosa, sive purulenta, sive jumentosa nec mortis nec convalescentiae ullum esse signum.

Transpiratio vero, quamquam tanti non sit ac diarrhoea, ubique tamen sedulo pensanda est. Suppressio etenim cutaneae secretionis damno cedit, et immodica transpiratio colliquescentiae, mortis vaticinio multum favet.

Secretio membranae mucosae organorum respirationis in typho cerebrali eo magis animadvertenda est, quo saepius cum typho cerebrali thoracica gravior affectio conjungitur. — Quaecunque vero affectio

catarrhalis in typho pejoris notae, quoniam morbi atrium metastatico modo facile ad pulmones allicitur.

5. Res denique aegroti familiares multum tribuunt prognosi definiendae, quod facile vides, si praxin clinicam cum privata, et si eorum, qui nati sunt loco superiori mortalitatem cum ea, qua pauperes consumuntur, comparaveris. Quoniam enim balneis, et medicaminibus lautioribus uti nequeunt, non raro citius pereunt, tardiusve restituuntur. Qualia quidem magis adhuc elucesunt, si rationes contuleris inter numerum eorum, qui in carceribus et navi obeunt, et eorum, qui sub faustiore conditione a morbo corripiuntur. —

T h e r a p i a.

Typhi procurationem pro varia ejus natura differre, per se quidem intelligitur. Attamen tam generaliter quaedam dicantur necesse est, quam de complicationibus frequentissimis iisque gravissimis distinctius est disserendum.

Indicationes in typho hae sunt:

Ut 1) causa removeatur,
2) character bene perspiciatur,
3) affectio topica sive localis supprimatur,
4) symptomata periculosa auferantur,
5) stadiorum decursus ne audacius quidem perturbetur,

6) crises salubriores proferantur vel saltem suppeditentur,

7) morbi sequelae prohibeantur eaeve sanentur.—

Ad 1. Aëris animique conditiones plerumque accusandae, ita mutandae sunt, ut momenta, quae ex iis profluxerunt nocifera salubriora reddantur. Auferas ergo aegrotum e navis profundo, e carceribus, locis humidis, ut in altiori domus loco versetur. Nonnunquam coacti sumus, aegrotum e regione nocifera in salubriorem transferre; id quod magis etiam in febribus intermittentibus diuturnis faciendum est. Quodsi vero talis loci aërisque mutatio non conceditur, chemicis adminiculis aether depurandus est. Humiditati vero nil magis obstat, quam carbones, quibus acetum adspergitur, vel ipse carbonum pulvis, quo solum valetudinarii ad pollicum quorundam altitudinem obtegitur.

Animi vero exhilaratio tantae in typho dignitatis est, ut per se fere typhi originem impedire possit. Jamque ex altera parte typhi procuratio cum successu institui nequit, nisi animus, e cujus perturbatione morbus originem duxit, ab omni cura liberatur.

Qua ex causa miser, qui in carceribus publicis detentus a typho corripitur, eo durante ab omni inquisitione liberandus est. Eadem de causa aeger a familia removeri debet, qua leetulum circumstante magis magisque curis sollicitatur. Qualia vero om-

nia diaeteticis adminiculis suppeditanda et promovenda sunt. Nutrimenta enim, etsi non copiosa aegrotus sumat, in hoc morbo lautiora esse debent, ac in omni fere alio. Attamen praecavendum est, ne nimium inde incitamentum exoriatur, quo morbus exacerbari febrisque augeri possit. Potissimum vero de stadio haesitandum est, beneque monendum, ne incipiente morbo, quo tempore non raro inflammatoria praevalet natura, restrictioris diaetae limites transgrediantur.

A. 2. Etiamsi morbo decurrente ejusdem facies vix ubique eadem sit, ineunte affectione tamen magna ejus diversitas observatur. Saepissime subinflammatoria quaedam morbi ratio perspicitur, quam ad curandam neutiquam fortibus antiphlogisticis, sed levissimis quibusdam refrigerantibus v. c. potione Riverii, tartari emetici restricta dosi et similibus utendum est. Ne evacuantibus quidem nisi summa cum praecautione morbi exordium debellandum erit, nisi e sordibus primarum viarum originem ceperat, quodsi in re esset, evacuantium omissio omissum sane gravissimum foret. Ubique vero bene tenendum est, evacuantium, licet per se indicata fuerint, abusum tam typhum praesentem augere, quam novum procreare posse. De emeticorum usu vero vix merae laudes promulgandae sunt. Siquidem omnis fere typhus emetico cito vel etiam nauseoso, antequam fusius corpusculum invectus esset, opprimi et

quodammodo abscindi potest. Interdum emetica etiam ad promovendas crises potissimum cutaneas cum fructu in auxilium vocantur.

Non raro autem contigit, ut primus statim typhi insultus dejecti systematis nervosi faciem prae se ferat. Sub qua rerum conditione in iis saltem casibus, in quibus ejus modi prostratio a virium oppressione non est derivanda, ut nervina exhibeamus, coacti sumus. Quorum primum locum vinum jure tenet. Monendum vero, vim suam vinum in parva quantitate et saepius sumtum modo longe laudabiliore exserere, ac si majori quantitate et longiori temporis spatio interposito hauritur. Valeriana autem inter omnia remedia palmam sibi conciliavit, et ab omnibus fere medicis, nisi nervinorum inimici sint, typhosis proponitur; quamquam conspicuos effectus vix unquam habuerit. Qrum igitur auxilium speratum non tulisset, ad arnicam Cel. Ferro primum se contulit. Attamen in iis tantum aegrotis adhibenda est, quorum exspectoratio difficilis, et lassitudo insignis est. Camphoram vero praescribere saepius in re est, quia pulsus parvus mollisque, cui camphora in hoc morbo plurimum respondet, adeo frequenter observatur. Qui si contractus et spasticus est, moschus in auxilium vocetur.

Narcotica vero per se in typho indicatione nulla gaudent; opium etenim, quod plures praecipue etiam recentiores tam insigni et frequenti suc-

cessu exhibuerunt, summisque laudibus jure coronarunt, non qua narcoticum exhibetur, sed qua excitans. Siquidem apud medicos practicos constat, opii effectum pro dosi summopere differre. Plurimos saltem aegrotos parva opii dosis exhilarat, stimulat, excitat, quos plena dosis mitigat, pacificat, sedat.

Roborantibus autem nonnisi in convalescentia utendum est, et sedulo cavendum, ne ventriculus iisdam obruatur. — Optima roborantia e ciborum gente seligenda sunt. Quemadmodum enim in genere diaeta parca vel potius admodum restricta et antiphlogistica typhosis neutiquam convenit, ita convalescentibus e typho lautior quaedam diaeta attamen non nimia concedenda est. Quodsi vero placuerit, remedia roborantia adhibere, vino chinaeque primus locus concedendus est. —

Quoniam vero nonnunquam typhi character putridus praevalet, antiseptica, cito proposita, reliquis medicaminibus ab omni parte in ejusmodi casu anteponenda sunt. Acidis itaque ac chinaceis utendum, et ab omni evacuante et dibilitante remedio penitus abstinendum est. —

Ne vesicatoriis quidem, quae in alia typhi natura summopere laudanda sunt, in putrida locus esse potest; quoniam ulcera inde oriuntur admodum ingrata. Quodsi vero abscessus quidam metastaticus v. c. ad parotidem natus esset, vel altioris notae

organon manifesto afficeretur, vesicatori aapplicanda essent. Sinapismi vero symptomatibus potissimum urgentibus a plurimis medicis practicis manifesto cum successu saepissime opponuntur. At in genere notandum est, cutanei integumenti irritamenta plurimis typhosis optime convenire. In vulgus enim notum est, quanto cum fructu balnea adhibita sint. Quae tam frigida, quam tepida pro varia rei forma esse debent. Iis enim aegrotis, quorum cutis calore mordace affecta est, nullaque transpiratione gaudet, frigida balnea potissimum conducunt. At quidem universaliter caute adhibenda sunt, quia sanguinem ad partes corporis centrales cum impetu repellunt, et si congestiones adeasdem maxime ad cerebrum jam adfuerant, apoplexiae ansam praebere possunt. Praeferendus itaque b a l n e o r u m frigidorum localium usus i. e. ut aegrotus ad umbilicum usque balneo tepido immissus, aquae frigidae multa copia e sublimi subito superfundatur. Interdum etiam pediluvia, quaecum aqua regia aeeunda sunt, profuerunt. Scarificationes vero vixunquam in typho juvant. Quia nervi cutanei iis nimium irritantur, vulnera supperatione longe vexantur, et sanguinis detractio, quae scarificationibus optatur, rarius tantum in hoc morbo laudanda est. Ideo etiam a venaesectione tamdiu abstinendum est, quamdiu congestiones fortiores ad cerebrum et pulmones eandem non severius exposcunt. Maxime vero rejicienda est, ubi putridi quid typhus involvit.

Emollientibus denique in iis potissimum casibus locum concedas, in quibus aut primarum viarum acor, nimiave systematis nervosi sensibilitas aliis remediis tolli nequit.

Ad 3. Quamquam interdum typhus sine omni affectione locali incidisse aegroto vivente visus fuerit, post mortem tamen arctior cadaveris disquisitio topicam affectionem fuisse fere semper docuit. Nec raro contigit, ut localis affectio a medico bene perspiciatur. In quo casu idoneis remediis debellanda est. Siquidem congestiones principalem locum inter affectiones locales tenent, iis potissimum oppunari debet. Balnea tepida, pediluvia, vesicatoria sinapismi tali rerum conditioni optime respondere solent. Frequenter cerebrum iis vexatur, et apoplexia non raro sequitur. In iis vero, qui aetate sunt provectiores vero emollities cerebri et abscessus in eodem nonnunquam observantur. Quo utroque miseri ad sepulcrum ducuntur, quin remediis ulla pateat via. Saepius vero nervi abdominales afficiuntur, quia abdomen plurimis potentiis nocentibus patet. Membrana mucosa organorum digestionis male afficitur, ipsoque exanthemate perfunditur. Quibus nisi cito remedia praesentia opponuntur, consumi aegrotum non raro querendum habebis.

Thoracis vero organa interdum tanta sanguinis copia ita obruuntur, ut suffocatio minetur, cui sinapismis et parva sanguinis detractione optime obviam ibis.

Ad 4. Symptomata periculosa potissimum diebus criticis evadunt, ac saepissime cum locali affectione pari passu incedunt. Ideoque eadem ratione, qua ista superare conati sumus, superanda sunt. Quodsi vero haemorhagia externa aut convulsiones et spasmi, aut inflammatio localis repentina accesserint, remedia omnibus nota exhibeantur.

Ad 5. Eos medicos in typhorum cura longe

Vitae curriculum.

Natus ego Petrus Koenen ante hos 28 annos Griethae, quod est oppidum prope ad Rheni ripas, parentibus catholicis Joanne Henrico Koenen et Joanna Koenen e stirpe Trip, quos a Deo ad hunc usque diem conservatos prosperaque valetudine donatos pia grataque mente veneror.

Prima literarum elementa vener. Iansen eodemque mortuo vener. van Dille me edocuerunt. Sic institutus gymnasium petii Dorstense, et per annos tres hanc propaedeuseos sedem frequentavi. Quibus peractis Bonnam me contuli, ubi testimonium maturitatis accepi et ab Ill. Hasse t. t. rectore Magnifico in civium academicorum numerum receptns et apud Ill. Mayer t. t. Decanum ordinis medici nomen professus sum. Per annos quatuor et dimidium philosophicarum medicarumque doctrinarum Professores tradiderunt mihi: logicam et psychologiam Illustr. van Calker; physicam Illustr. a Münchow; chemiam experimentalem Illustr. G. Bischof; Botanicam universalem Illustr. Nees ab Esenbeck sen.; pharmaceuticam Illustr. Nees ab Esenbeck jun., Zoologiam Illustr. Goldfuss; mineralogiam Illustr. Noegerath; encyclopaediam et methodologiam Illustr. Windischmann; osteologiam et syndesmologiam Celebr. Weber; anatomiam specialem et physiologiam hominis Ill. Mayer, qui una cum Cl. Weber dissecandorum cadaverum dux mihi fuit; pathologiam universalem et specialem, Syphiliden et pharmacologiam Ill. Harless; anthropologiam, therapiam generalem et specialem, informationesque in clinico propaedeutico Ill. Nasse; artem obstetriciam, morbos muliebres Ill. Kilian; artem formulas concinnandi medicas, medicinamque forensem Ill. E. Bischof; pathologiam et therapiam chirurgicam, doctrinam de fracturis et luxationibus ossium et de fasciis et deligationibus applicandis, ophthalmiatricen, doctrinam operationum chirurgicarum, atque instrumentorum apparatum ad illas perficiendas idoneorum Ill. a Walther. Denique in exercitationibus clinicis et policlinicis medicis per duo semestria ducem habui Ill. Nasse. In clinico et policlinico et chirurgico et ophthalmiatrico per semestre auscultanti, ut dicunt, Ill. a Walther, et per

felicissimos in omni saeculo fuisse, qui cauta manu typhum remediis debellaverant, experientia toties repetita edocti sumus. Cujus rei causa manifesta in eo latet, quod decursus stadiorum typhi remediis fortibus, frequentibus perturbatus ubique ad infelicissimum exitum perduxerat.

Ad 6. Itaque methodus exspectatoria typhosis non raro magis conducit, quam nimia medici sedulitas. Idque potissimum tenendum, brevi ante dies criticos fere nil, vel saltem nil gravioris remedii dandum esse. Suppeditandae contra crises, quibus natura viam sternit. Itaque pro ejus directione sudorifera, lenitiva, emetica, ipsave urinifera propinanda sunt.

Ad 7. Morbi sequelis optime praecavetur justa typhi ipsius curatione. At vero diffitendum non est, graviores sequelas absque omni medici culpa interdum evasisse, et, etiamsi vitae periculum nullum induxerant, diu tamen et ingratissimo modo eas aegrotum vexasse. Solent etenim sensuum organa invadere, et amaurosin aut baryoicoian, rarius vero olfactus gustusve deprava tionem procreare.

Talis vero coecitas, talisque surditas nisi temporis interposito sat longo spatio natura adjuvante tollitur, medicaminibus impedimentem fere penitus insuperabile opponit. Siquidem electricitas et magnetismus animalis quosdam miseros a tanto malo deliberasse videantur, saepius tamen ut remedia reliqua omnia exoptatum recusant auxilium.

semestre practicanti Ill. Kilian dux fuit. In exercitationibus obstetriciis quum in phantomate tum vere practicis moderationibus viri Ill. Kilian usus sum.

Mense Maji h. a. hanc almam literarum sedem Fridericam Guilelmam petii, ubi a rectore Magnifico Ill. Boeckh in numerum civium academicorum receptum in gratiosi medicorum ordinis album Ill. Hufeland me inscripsit. Per hoc semestre institutum clinicum chirurgicum Ill. Rust; medicum Ill. Wolf et Bartels; ophthalmiatricum Ill. Jüngken frequentavi. Quibus omnibus praeceptoribus de me optime meritis gratias, quas verbis persolvere haud valeo, in sempiternum habebo maximas.

Jam tentamine philosophico et medico nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina atque chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I.

Quo arctius in morborum naturam medici penetrarunt, eo magis affectionum localium frequentia in conspectum venit.

II.

Nervina in febri nervosa saepius nocent, quam fructui sunt.

III.

Cataractae dissectio depressio et reclinatio simul in usum vocatae extractioni anteponendae sunt.

IV.

Partus praematurus arte institutus maximam meretur attentionem.

V.

Abscessus quos frigidos dicunt lympham genuinam non continent.